De quibusdam partibus grammaticae latinae accuratius definiendis.

PARS ALTERA.

Quam anno 1870 annalibus gymnasii Monasterio-Eifliensis praefixam commentationem scripseram de quibusdam locis grammaticae latinae accuratius definiendis cum virorum intellegentium iudicio aliqua ex parte probatam viderem propter viam ac rationem, quam in explicandis legibus grammaticis ingressus sum, praefandi his annalibus scholasticis munere mihi mandato eandem materiam recipere et persequi statui. Ut autem in illa sic in hac commentatione Meiringii grammaticam latinam*) aliis multis grammaticorum libris, quos consulere non omisi, certiorem et firmiorem mihi adiutricem ducemque fuisse grato animo profiteor. Qua enim erat sagacitate et in exquirendis et in constituendis legibus sermonis latini, Meiringius grammaticam composuit firmis et acutis rationibus ita fundatam et exstructam, ut in serie et continuatione regularum, quantum fieri potest, alia ex alia nexa et omnes inter se aptae colligataeque videantur. Noli autem, quaeso, putare me ita iudicantem orationem pro domo habere velle, quippe cum Meiringii mortui qui exstant libri conscripti mihi recognoscendi et retractandi sint permissi. Hoc meum iudicium profectum ex mentis sententia non retinendum putavi, tum ut documentum proponerem pii gratique animi erga socerum optimum, carissimum, tum ut declararem quam mihi conscius essem me illo multo esse inferiorem et subtilitate in explorandis et sollertia in constituendis legibus grammaticis.

*) Lateinische Grammatik für die mittlern und obern Klassen der Gymnasien. Sechste Auflage. Bonn bei Max Cohen & Sohn (Fr. Cohen).

I.

De constructione verborum adfectuum.

Cum verba adfectuum construantur et cum coniunctione quod et cum accusativo cum infinitivo, quae utrique constructioni subsit percipiendi ratio hoc loco accuratius exponam, quod video grammaticos in ea explicanda multum elaborare, sed ita non certi quidquam ac definiti statuere, ut magnis verborum ambagibus legentium animis plus perturbationis quam lucis adferant. Ut autem naturam coniunctionis quod (dass) recte percipiamus, animadvertendum est eam finitimam esse pronomini relativo quod. Utrumque est correlativum respondens aut antecedenti aut supplendo id. Copulatio autem correlativa id — quod = ea res — quae adhibetur ad rem enuntiato secundario ita significandam, ut nota cum ea coniuncta exprimatur: id annuntiat notam, quam enuntiatum relativum addit; duo membra formant unum quiddam (Einheit), quod dissolvi non possit (cf. Meiring l. l. § 949). Hanc autem esse naturam copulationis correlativae apparet ex eo, quod pro enuntiato relativo participium poni potest ita, ut pronomen demonstrativum vim articuli accipiat. Quod quidem in sermone latino, cum articulum non habeat, perraro fit; sed in patrio sermone et saepius in graeco in usu est. Enuntiato huic: me terret id —quod impendet, respondet Graecorum: καταπλήττει με τὸ ἐπικρεμάμενον (= τοῦτο, ὃ ἐπικρέμαται) et nostrum: mich schreckt das Drohende (die drohende Sache).

Pronomen quod (das) eo coniunctionis (dass) vim accepit, quod etiam ita adhibebatur, ut enuntiato secundario actio significaretur, quae non coniuncta esset cum re, sed rem ipsam significaret. Si ponimus: me terret id — quod clamas, enuntiato „quod clamas" res ipsa dicitur, quae me terret: quod clamas = clamor tuus. Quanta autem fuerit cognatio pronominis cum coniunctione quod cognoscitur ex Homero, qui non paucis locis pronomine ὅ pro coniunctione ὅτι utitur, ut: εὖ νυ καὶ ἡμεῖς ἴδμεν, ὅ τοι σθένος οὐκ ἐπιεικτόν (Il. 8. 32). Hoc loco conferre non alienum videtur Graecorum formam coniunctionis ὅτι cum neutro pronominis ὅτι et Francogallorum pronomen relativum que cum consona coniunctione; item in antiquo sermone Germanico forma daz utramque habebat significationem.

Enuntiato igitur, cui praefixa est coniunctio quod (dass), actio sensibus subiecta exprimitur, de qua enuntiato principali aliquid praedicatur, et solvere licet duo enuntiata ita, ut enuntiatum secundarium vim accipiat enuntiati principalis et priore loco ponatur: clamas; id me terret. Enuntiatum autem secundarium nihil est aliud nisi periphrasis substantivi verbalis vel infinitivi vim substantivi verbalis continentis, quo res sensibus subiecta ita exprimitur, ut locum subiecti, vel obiecti, vel casus obliqui enuntiati principalis possit obtinere: me terret, quod clamas = me terret clamor tuus; timeo, quod clamas = timeo clamorem tuum; terreor eo, quod clamas = terreor clamore tuo. Iam apparere puto quantum distet haec coniunctio, quam recte substantivam dicas, ab illa, quae vim habet causalem (weil). Ea est autem natura causalis coniunctionis, ut enun-

tiatum, cui est praeposita, vim accipiat substantivi verbalis apposita causali praepositione (ob, propter). Numquam potest huic coniunctioni antecedere pronomen id, antecedunt vel possunt semper suppleri: propterea, iccirco, eam ob causam, alia eiusmodi. Iter distuli propterea — quod advenisti = propter adventum tuum; substitui non potest ablativus: adventu tuo (cf. Meiring l. l. § 991). Hanc coniunctionem recte dicas adverbialem. Itaque ut recte percipiatur natura enuntiatorum, quae praefixa coniunctione quod pendent a verbis adfectuum, quantum intersit inter significationes dass et weil acriter observandum est et etiam atque etiam monendi sunt discipuli, ne umquam ad vertenda illa enuntiata adhibeant coniunctionem weil. Vehementer miror, quod, quantum video, omnes grammatici uno excepto Meiringio ea enuntiata sic accipiunt, ut causam iis contineri statuant et utramque vertendi rationem dass et weil sine ullo discrimine permittant. In quo quam non recte agant quo magis cognoscatur, rem hoc ficto exemplo accuratius inlustremus: Gaudeo, quod (dass) advenisti. Enuntiato „quod advenisti" actio sensibus subiecta exprimitur, de qua verbo gaudeo aliquid praedicatur; solvere licet: advenisti; ea re (id) gaudeo. Quod advenisti est periphrasis ablativi: adventu tuo. Amplificemus illud enuntiatum hoc supplemento: Propterea — quod (weil) te videre cupio, gaudeo, quod advenisti. Patet enuntiatum propterea — quod ... causam continere cur gaudeam. Est periphrasis substantivi verbalis addita praepositione propter, ita ut totum enuntiatum hunc in modum commutari possit: Propter cupiditatem meam (te videndi) gaudeo adventu tuo; vertendum est: Weil ich dich zu sehen wünsche, freue ich mich, dass du gekommen bist. Absurdum esse coniunctionem quod in enuntiato: „quod advenisti" vertere weil iam neminem esse puto, quin concedat.

Acute autem secernendas et distinguendas esse notiones dass et weil dilucide apparet ex constructione verborum accusandi, quae postulant quod cum coniunctivo. Nam si ponimus: Gaius Pompeium accusavit, quod caedem fecisset, enuntiatum: quod — fecisset non causam continere accusationis, sed ipsam esse summam accusationis tam perspicuum est, ut magnopere sit mirandum Schultzium (in novissima editione grammaticae suae latinae, quam curavit Oberdickius, § 368 adnot. 1) et alios permultos grammaticos in eo versari errore, ut causam in eiusmodi enuntiatis statuendam esse putent et vertant: weil er einen Mord begangen habe. An quaerere licet in illo enuntiato cur Gaius Pompeium accusaverit? Id quaerenti alia multa respondere in promptu est, ut: quod eum e medio tolli voluit (weil er ihn bei Seite schaffen wollte).

Quoniam de usu et significatione coniunctionis „quod" post verba adfectuum diximus, restat, ut doceamus quando construantur cum accusativo cum infinitivo. Quid autem inter utramque constructionem sit discriminis ut percipiamus, primum quae sit natura infinitivi videndum erit. Est autem infinitivus nihil nisi forma universa notionis praedicati i. e. continet universam notionem actionis vel status; differt a verbo finito eo, quod ei praedicatio deest. Forma „currere" nihil praedicatur; est notio universa actionis, qua, ubi ad significandam propriam actionem adhibetur, verbum finitum efficitur: puer curr-i-t (cf. Meiring l. l. § 737). Itaque ut recte percipiatur quantum differat „gaudeo quod coniunctum cum verbo finito" a „gaudeo constructo cum accusativo cum infinitivo", acute observandum est verbo finito semper aliquid praedicari, cum infinitivus sit notio

cogitatione tantum concepta. Dicat aliquis constructione accusativi cum infinitivo post verba sentiendi et declarandi posita semper exprimi aliquid esse vel fieri; nam enuntiato: Sentimus calere ignem (Cic. fin. 1. 9. 30) significari rem sensibus subiectam sc. calet ignis. Proxime quidem in hac constructione infinitivus accedit ad verbum finitum, quod obtinet ille quidem locum praedicati enuntiati iudicium continentis, sed eo ipso nihil adfirmatur, praedicatur. Si dico: calet ignis, res (indicativo) adfirmatur, praedicatur; si hoc enuntiatum ita ponitur, ut pendeat a verbo „sentimus", praedicatio tollitur et efficitur accusativus cum infinitivo, in qua constructione animadvertendum est ipsum iudicium, totum enuntiatum, non notionem verbi, esse obiectum. Illa autem infinitivi natura magis perspicua est in iis enuntiatis, de quibus enuntiato principali aliquid iudicatur. Si dico: Turpe est e proelio fugere, apparet infinitivum nihil esse nisi universam notionem cogitatione conceptam neque propriam actionem significare; de eo iudicatur: turpe est. Enuntiatum vertendum est: Es ist schimpflich, aus der Schlacht zu fliehen vel dass man *fliehe* non *flieht*. Nihil mutatur haec infinitivi natura addito subiecto, ad quod infinitivus ut praedicatum cogitatione conceptum refertur: Turpe est militem e proelio fugere i. e. fugere, quod praedicatum cogitatione conceptum ad aliquem militem refertur, turpe est. Ut in illo sic in hoc enuntiato vertendo utique coniunctivus postulatur: Es ist schimpflich, dass ein Soldat aus der Schlacht *fliehe* (cf. Meiring l. l. § 740 et § 760). Quod ne argutius quam verius dictum putes, conferas velim cum illo enuntiatum hoc: Turpe est, quod Gaius e proelio Cannensi fugit. Iam res facta, sensibus subiecta adfirmatur; solvere licet: Gaius e proelio Cannensi fugit, de quo Gaii facto iudicatur: turpe est. Vertendum est: Es ist schimpflich, dass Gajus aus der Schlacht bei Cannä geflohen *ist*. Item verba adfectuum postulant accusativum cum infinitivo, si enuntiatum ab iis pendens rem cogitatione tantum conceptam significat. Si ponimus: Vir bonus semper gaudet res amici bono loco esse, omnino non adfirmamus: res amici bono loco sunt; dicere licet de amico maximis rerum suarum difficultatibus circumvento. Longe alia est natura enuntiati huius: Gaudeo, quod res amici mei magnis difficultatibus perfuncti nunc bono loco sunt; hoc enim res, quae est, adfirmatur. Facile solvuntur duo membra hunc in modum: Res amici mei magnis difficultatibus perfuncti nunc bono loco sunt; id gaudeo. Hoc loco autem id admonitum velim, id quod omnino in explicandis legibus sermonis latini observandum est, ad grammaticam rationem plurimum referre quomodo is, qui loquitur, praedicatum percipiat. Fieri enim potest, ut res facta cogitata tantum notione concepta ponatur, ita ut accusativus cum infinitivo adhibeatur. Quod cum multis exemplis tum hoc Livii comprobatur: Iam Sabinorum omnis multitudo cum liberis ac coniugibus venit; invitati hospitaliter per domos cum situm moeniaque et frequentem tectis urbem vidissent, mirantur tam brevi rem Romanam crevisse (1. 9. 9.). Enuntiatum continet illud quidem rem factam sc. brevi res Romana crevit; sed eam non adfirmari intelleges, si hunc in modum vertes: sie wunderten sich, dass der römische Staat in so kurzer Zeit zugenommen habe vel paulo liberius: dass ein Staat wie der römische habe zunehmen können.

II.

De forma verbi ad necessitatem exprimendam composita.

Qui in naturam et indolem sermonis latini inquisiverunt et in eius legibus investigandis ac statuendis non mediocriter occupati fuerunt viri docti, eos omnes fere video formam verbi desinentem in -ndum addito verbo est ita accipere, ut ei vim passivam subiectam esse statuant. Quae quidem opinio, ubi primum sermonis latini rudimentis imbuti sumus, ita animis nostris instillata et qua postea instituti sumus doctrina ita firmata ac stabilita est, vix ut eam exuere posse videamur. Sed quae sit huius formae vis ac natura si accuratius examinaverimus, non iam poterit esse dubium, quin Meiringius recte ei vindicet vim activam. Docet autem (l. l. § 855 adn.): Das Verbalsubstantiv auf -ndum ist aktivisch (Nominativ des Gerundiums). Quod quam vere doceat quo magis cognoscatur, quaedam ad confirmandum atque inlustrandum accommodata hoc loco in medium proferam.

Substantivum verbale desinens in -ndum in nominativo non est in usu nisi coniunctum cum verbo est, qua coniunctione necessitas actionis exprimitur. Quod si verum est, vis passiva in eo inesse non potest. Namque notio actionis postulat vim activam, quae addita significatione necessitatis quomodo ita tollatur, ut in contrariam (passivam) vertatur non video. Quodsi enuntiatum: Gaius currit est activum, alterum hoc enuntiatum: Gaio currendum est activum accipere cogimur. Ut enim illud significat Gaium facere aliquid (sc. currere), sic hoc necesse esse Gaium facere idem. Dixerit quispiam verbo necesse esse vim passivam subesse; nam idem fere significare, quod fieri debere, fieri autem esse passivum. Qui ad id refugiunt, ut opinionem animis suis penitus insitam tueantur, non vident se in alterum incidere errorem eumque non minorem. Nam verbum fieri, si significat geschehen, werden, vim activam, non passivam habet. Quod ni ita est, illa verba impersonalia: lucescit, vesperascit etc., quippe quae idem valeant, quod fit lux, fit vespera, atque item: pluit, ningit etc. passiva sunt habenda; pluit enim nihil aliud significare nisi: fit ut pluat satis dilucide docuisse mihi videor in commentatione mea, quam supra commemoravi (pag. 6 sq.). Sed qui ne in illa quidem expositione possint acquiescere, eos respicere velim alia verba, quae eandem quam fieri habent significationem, quae sunt: accidere, contingere etc. Quibus, si sibi constare velint, aeque atque illi verbo vim passivam tribuant necesse est. Accedit, quod infinitivus futuri verbi fieri duas praebet formas: alteram activam futurum esse (dass — geschehen werde, dass — werden werde), alteram passivam factum iri (dass — werde gemacht werden), et quod loco formarum: fito, fitote etc. in usu sunt formae: esto, estote. Atque etiam in tempore perfecto haud raro scriptores forma fui utuntur pro factus sum (= wurde), ut Livius (3. 50. 4): ut iam ex trepidatione concurrentium turba constitit ac silentium fuit (sobald es still geworden war, Stille eingetreten war), ordine cuncta exposuit.

Quod hunc in modum ex ipsa natura atque ex significatione substantivi verbalis desinentis in -ndum demonstravimus, id usu sermonis latini comprobatur. Nam scriptores

omnium fere aetatum non paucis locis ea forma ita utuntur, ut coniungant cum accusativo obiecti. Ut Plautus: mi advenienti hac noctu agitandum est vigilias (Trin. 4. 2. 27); ut Lucretius: Aeternas quoniam poenas in morte timendum est (1. 112); multaque nobis clarandum est (4. 479); addendum partis alias erit (2. 492); quae proelia nobis atque pericula tum est ingratis insinuandum (5. 44), aliis locis multis; ut Varro: Canes potius cum dignitate et acres paucos habendum quam multos (r. r. 1. 21); faciendum saepta secreta (2. 2. 8); in fetura dandum potius hordeaceos quam triticeos panes (2. 9. 12); obiciendum farinam hordeaceam molitam cum furfuribus (2. 7. 11); ut Vergilius: aut pacem ab rege petendum (Aen. 11. 230); ut Silius: Nunc pacem orandum, nunc improba foedere rupto arma reponendum (11. 562—563); nec bona censendum (15. 105). Atque ipse Cicero duobus locis hanc adhibuit constructionem: tamquam aliquam viam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum sit (Cat. m. 2. 6); Obliviscendum putatis matrum in liberos, virorum in uxores scelera (Scaur. 7. 13). Qui autem fieri posse putamus, ut tam saepe scriptores coniunxerint formam passivam cum accusativo obiecti? Quae grammatici atque scriptorum interpretes adferunt ad illa exempla inlustranda nihil valent ad expediendam difficultatem, si tenemus formam passivam. Plerique enim satis habent dicere haec superesse exempla ex antiquo dicendi genere atque perrara esse prae multitudine eorum, quae aliam exhibeant constructionem. At ne uno quidem loco licet uti constructione, quae prorsus repugnet rationi omnibusque dicendi legibus. Quid potest autem magis alienum esse a primis dicendi legibus quam coniungere formam passivam cum accusativo obiecti? An putamus unum inveniri exemplum, quo forma haud dubie passiva, ut laudatum est, regat accusativum obiecti? Dicit autem Kuehnerus (Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache II. § 130. 1b): Diese Konstruktion gehört fast ausschliesslich der vorklassischen Sprache und dem altertümliche Ausdrucksweisen liebenden Varro an und begegnet nur selten in der klassischen, die statt dieser unpersönlichen Konstruktion regelmässig die persönliche gebraucht, taucht dann wieder öfters bei den spätern Juristen auf. Iam adfert exempla, sed quomodo ea sint accipienda non curat. Addit autem hoc: Dieser Konstruktion des Gerundivs entspricht die im Altlateinischen öfters vorkommende Verbindung eines Verbalsubstantivs auf —tio und —est mit einem Objekte im Akkusativ, als: quid tibi hanc curatiost rem? Pl. Amph. 519. Quod quin recte dicat, dubium non est; ex eo autem ipso, si conferimus cum iis, quae non minus vere docet (§ 130. 1) de vi substantivi verbalis desinentis in —tio, si coniunctum est cum verbo est, necessario efficitur id, quod demonstrare volumus, nullo pacto formae illi (—ndum est) subesse posse vim passivam. Dicet enim substantivum verbale desinens in —tio addito verbo est vim necessitatis posse accipere, ut: istaec magis tua curatio est (Pl. Poen. 1. 2. 141), quod vertit: das ist deine Besorgung, das musst du besorgen. Hanc necessitatis vim recte docet magis elucere dativo personae addito, ut: nunc mihi cautio est, ne . . obiexim moram (Pl. Poen. 1. 3. 36), jetzt ist mir Vorsicht; kommt mir Vorsicht zu. Haec Kuehnerus. Facile autem videbis ex iis substantivum verbale desinens in —ndum atque desinens in —tio addito verbo est eandem habere vim ac notionem; nam in exemplis allatis pro: tua curatio est substituere, licet: tibi curandum est, et pro: mihi cautio est: mihi cavendum est.

In illis autem dictionibus vim activam inesse nescio an nemo non concedat; ergo ne in his quidem vis passiva inesse potest.

Corssenius (Kritische Beiträge zur lateinischen Formenlehre p. 131 ff.) postquam satis multis exemplis docuit Gerundium vim substantivi verbalis desinentis in —tio primo habuisse, ita ut postularet genetivum, atque contulit huic contrariam eius naturam, qua eundem casum regat, quem verbum, a quo formatum est, dicit: Dieser Gebrauch des Nomens auf —un—do, welches wir Gerundium zu nennen pflegen, ist derselben Art, wie wenn Verbalsubstantiva auf —ti—on im Altlateinischen denselben Casus regieren wie die Verba, von denen sie gebildet sind. Quod ut confirmet exemplis, ad illa, quae supra attulimus, haec addit: Quid tibi hunc receptio ad test meum virum (Plaut. Asin. 5. 2. 70)? Sed quid tibi nos, mendice homo, tactio est (Aulul. 3. 2. 9)? Quid tibi hanc aditio est? quid tibi hanc notio est (Trucul. 2. 7. 62)? Quod autem Corssenius eandem vim ac naturam substantivo verbali desinenti et in —tio et in —ndum recte tribuit et quod non minus recte dicit: In dem Gerundium konnte also wie in dem abstrakten Nomen auf —ti—on der Thätigkeitsbegriff lebendig bleiben, sequitur in forma illa (—ndum est) esse vim activam. — Ramshornius (Lateinische Grammatik § 169) de natura gerundii haec docet: Das Gerundium bedeutet das zur Vollendung Bestimmtsein, oder das Seinsollen eines Zustandes. Als Nominativ steht das Gerundium nur mit est, wie ein Impersonale und hat die Person, der das Sollen gilt, im Dativ. Ad exemplum, quod adfert: Moriendum certe est, recte adnotat: Das Sterbensollen ist, findet statt, d. i. man muss sterben. Quae si est natura gerundii coniuncti cum verbo est, non video cur in illis exemplis, quae illam formam cum accusativo obiecti coniunctam exhibent, graecismum statuendum esse putaverit. Omnia enim in iis sunt tam clara ac perspicua, tam consentanea latini sermonis legibus, nihil ut sit cur ad graecismum statuendum refugiamus. Nam si ponitur: colendum est, secundum eius explicandi rationem, significatur: das Übensollen ist, findet statt; cui addito obiecto virtutem res exprimitur, ad quam transit, quam tangit illud üben sollen. — Schottmuellerus (Lateinische Schulgrammatik § 219 ff.) multa de eadem re inter se pugnantia se docere non vidit. Recte quidem dicit nominativum gerundivi (?) coniunctum cum verbo „esse" vim habere necessitatis, sed falso addit: es nimmt die Person, von welcher etwas gethan oder gelitten werden soll, im Dativ zu sich. Vindicat igitur illi formae vim passivam. Repugnant autem huic explicandi rationi ea, quae ad inlustrandum paulo infra adnotat; docet enim primum necessitatis notionem non tam in gerundivo positam esse quam in significatione dativi coniuncti cum verbo „esse". Quamquam quid sibi velit dativus ad necessitatem exprimendam omnino non intellego, quod eadem necessitatis significatio nihil infringitur omisso dativo (ut: moriendum est), tamen quae ad exponendam vim dativi in his enuntiatis adfert, recte se habent. Dicit enim in verbo „esse" notionem inesse „existieren", „vorhanden sein". Ex qua Schottmuelleri explicandi ratione efficitur „mihi moriendum est" idem esse, quod „mihi necessitas moriendi est" (für mich ist die Notwendigkeit zu sterben vorhanden). Ex quo enuntiato significatio passiva, quam supra statuit, qui possit elici, perdifficile est ad intellegendum. Idem, postquam multa confuse ac contorte ad vim necessitatis exponendam docuit, in extrema adnotatione recte dicit haec enuntiata: „omnes homines moriuntur"

et „omnibus hominibus moriendum est“ idem significare et differre eo solum, quod illo ipsum factum, hoc idem factum ut lex naturae exprimatur. Quodsi concedit naturam utriusque enuntiati eandem esse, illud autem activam vim habet: hoc eandem habere necesse est. Ad explicanda exempla, quae supra attulimus, nihil adfert; nam quod dicit primo neutrum gerundivi coniunctum fuisse cum accusativo obiecti nihil valet ad expediendam difficultatem, si vim passivam in iis inesse statuimus. — Item Reisigius (Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft § 422) vim passivam tenet, quamquam quod paulo infra dicit: Was die Person betrifft, welche handeln soll . . . huic percipiendi rationi repugnat; nam notio agendi („agere“) postulat vim activam. — Schultzius, Zumptius, Ellendt-Seyffertius, Madvigius, alii multi grammatici, quos consului, consentiunt omnes in eo illam formam verbi esse passivam nec curant quomodo expediant constructionem, qua passiva significatione posita absurdius nihil potest inveniri. Satis est omnibus archaismum quendam statuere. Ex multitudine grammaticorum, quantum video, unus Draegerus (Historische Syntax der lateinischen Sprache 2. § 594 pag. 820) consentiens cum Meiringio huic formae vim activam tribuit, sed eius significationem non satis accurate exponere mihi videtur, cum dicit: moriendum est heisst „das Sterben (?) liegt vor“ d. h. man muss sterben. Nam non ipsum mori, sed necessitatem moriendi adesse (sit venia verbo) illa forma significatur. Quod Draegerus vult, exprimitur formis: morior, moreris etc.; „moreris“ enim significat: das Sterben von dir liegt vor = findet statt = du stirbst. Quanto rectius vertit Meiringius: es ist „zu sterben“ = man hat „zu sterben“ = man muss sterben. Restat ad rem omni ex parte absolvendam, ut addam hoc loco post verba transitiva illam formam activam versam esse in passivam desinentem in —ndus (gerundivum), ita ut pro: „virtutem colendum est“ diceretur: „virtus colenda est“. In hoc enuntiato facile agnoscimus vim passivam, si solvimus: virtus coli debet.

III.

De natura enuntiatorum relativorum causam continentium.

Grammatici docent illi quidem in pronomine relativo coniuncto cum coniunctivo vim causalem saepe inesse, sed quo diiudicari possit quando causa coniunctionibus cum vel quod, quando illo pronomine sit exprimenda nihil addunt. Quo fit, ut discipuli aut putent semper licere pronomine relativo uti, aut in recte eo adhibendo haereant nec habeant quid sequantur. Itaque non alienum duco, quod in grammaticis desideratur, hoc loco supplere atque haud dubiam adferre notam, qua possint cognoscere quidnam intersit inter coniunctiones cum et quod et pronomen relativum positum ad causam exprimendam. Est autem primum haec ei enuntiato, quod praefixam habet coniunctionem cum et ei quod habet pronomen relativum communis vis, ut utroque enuntiato, cum contineat rem factam, tamen ea non adfirmetur, sed cogitata notione verbi res significetur; qua-

re in utroque coniunctivus postulatur. Ea est enim natura coniunctivi, ut praedicatum tantum cogitata notione verbi enuntietur. Quod in vertenda coniunctione „cum“ acriter observandum est, ne in errorem incidamus, quem in omnibus fere grammaticorum libris invenio; omnes enim ei tribuunt notionem „da“ vel „weil“ non videntes quantum sit discriminis inter naturas illarum coniunctionum. Nostrum „da“ est Latinorum „cum“, nostrum „weil“ „quod“ vel „quia“. Quarum coniunctionum naturas plurimum distare longeque diversas esse apparet ex eo, quod illa coniunctivum postulat, haec indicativum. Cum enuntiatis, quibus praefixa est coniunctio „cum“, res facta subsit illa quidem, sed a loquente non ut facta adfirmetur et praedicato cogitatione tantum concepto significetur qua rerum ratione (unter was für Umständen) actio enuntiati primarii facta sit, enuntiatis, quibus praefixa est coniunctio „quod“, res facta adfirmatur. Enuntiatum: „miles pugnare non poterat, cum saucius esset“ sensu quidem nihil differt ab hoc: „miles pugnare non poterat, quod saucius erat“; sed si grammatica ratio respicitur, multum interest. Nam illo nihil adfirmatur nisi militem pugnare non potuisse; addito „cum saucius esset“ qua rerum ratione pugnare non potuerit exprimitur. Respondet coniunctivus nostro infinitivo vel nomini abstracto atque vertere licet „durch das Verwundetsein, durch die Verwundung“. In hoc autem enuntiato (. . non potuit, quod . . erat) verbis „quod saucius erat“ res facta adfirmatur, quod facile videmus, si membra iniunctae orationis solvimus et ex membro secundario restituimus enuntiatum absolutum: miles saucius erat; itaque pugnare non poterat, quo non minus illa quam haec res facta adfirmatur. Illud autem enuntiatum (cum . . esset) ut ita solvamus propter coniunctivi naturam fieri non potest.

Cum enuntiatis, quibus coniunctio „cum“ praeposita est, causa significetur, cur res, quae enuntiato primario commemoratur, facta sit, enuntiatis relativis causa non ad rem ipsam enuntiato primario allatam pertinet, sed causa adfertur, cur is, qui loquitur, praedicatum subiecto tribuat i. e. cur iudicet id de subiecto, quod praedicato exprimitur. In exemplo, quod supra posuimus, verbis: cum saucius esset, causam adferri cur miles pugnare non potuerit perspicuum est. Longe autem alia est natura enuntiati huius: Gaius est vir bonus, qui noceat nemini. Sententia relativa nullo modo causam potest continere cur sit Gaius vir bonus. Has causas si quaerimus, aliae multae possunt adferri, ut: quod a puero ad virtutem colendam educabatur, vel: quod vitata societate hominum malorum semper utebatur consuetudine virorum bonorum. Nemo non videt causam potius adferri cur Gaio praedicatum „est bonus“ tribuamus, cur iudicemus eum esse virum bonum; est enim hic sensus enuntiati: Causa cur dicamus Gaium esse virum bonum est, quod nemini nocet (confer. commentationem meam, quam supra commemoravi pag. 13 f.). Quod cum discipulis saepe difficile sit ad cognoscendum, quae sit natura illorum enuntiatorum hoc loco accuratius exponam atque notam apponam, quam tenentes numquam in adhibenda illa constructione errare possint. Ante omnia id monendum mihi videtur plerumque iis enuntiatis primariis, quibus additum est enuntiatum relativum causam continens, qualitatem aliquam rei vel personae exprimi. Ea autem qualitas ipsa cum tam incerta atque infinita sit, ut quo sit referenda et quomodo accipienda magnum cogitandi spatium relinquatur, addito enuntiato relativo clare ac dilucide significatur quemadmodum appa-

ruerit. Cicero si dicit (fam. 7. 30. 1): Caninius fuit mirifica vigilantia, Caninio qualitatem tribuit. Vigilantia autem potest esse varia, ut eam mirificam dicere liceat. Nonne eum, qui singulas singulis noctibus horas dormiat, aeque mirifica vigilantia esse dicere licet atque eum, qui binas vel ternas horas dormiat? Itaque scriptor, ut ostendat qualis in eo fuerit mirifica vigilantia i. e. quemadmodum apparuerit, addit: qui suo toto consulatu somnum non viderit. Hanc autem esse naturam huius enuntiati facile cognoscitur ex eo, quod duo illa enuntiata sensu nihil mutato hunc in modum converti possunt: Caninius fuit tam mirifica vigilantia, ut . . . non viderit. Enuntiatum: „ut . . . non viderit" non consecutionem continere, sed ad „fuit tam mirifica vigilantia" ita referendum esse, ut significetur quomodo ea cernatur patet. Eadem est ratio enuntiati huius: Tarquinio quid impudentius, qui bellum gereret cum iis, qui eius non tulerant superbiam? (Cic. Tusc. 3. 12. 27). Cum impudentia, quam tribuit scriptor Tarquinio, sit notio infinita, eam accuratius definit addito enuntiato: „qui . . . gereret", ita ut cognosci possit quomodo apparuerit. Mutare licet: Tarquinius erat tam impudens, ut . . . gereret. Ne hoc quidem loco in verbis: „ut . . . gereret" consecutionem poteris invenire. Demonstrativo tam respondet ut coniunctionale: tam (impudens) — ut so (= in der Art) dass, ita ut dictione: „ut . . . gereret" notio verbalis „impudentem fuisse" ita definiatur, ut ostendatur quomodo (in welcher Art) impudens fuerit, sive qualis fuerit impudentia. Item in hoc enuntiato: O magna vis veritatis, quae contra hominum calliditatem facile se per se ipsa defendat! (Cic. Cael. 26. 63) veritati magna vis tribuitur. Quae cum variis modis se prodere possit, addito „quae . . . se ipsa defendat" quo cernatur constituitur. Quod quo magis appareat, totum enuntiatum ita mutemus: Tanta est vis veritatis, ut . . . se ipsa defendat; nam verbis „ut . . . defendat" indicatur quomodo appareat magna vis veritatis. Nec aliter accipiendum est enuntiatum hoc: O fortunate adulescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris! (Cic. Arch. 10. 24). Multae possunt esse causae cur hominem fortunatum dicere liceat. Addito autem enuntiato „qui . . . inveneris" infinita illa notio artius terminatur, ita ut significetur qualis fuerit fortuna. Mutari potest: O tam fortunate adulescens, ut . . . inveneris. Quae de natura enuntiatorum relativorum causam continentium exposuimus, si comprehenderis, hanc habebis normam, quam tenens numquam errare poteris: Coniunctio „da" vertenda est pronomine relativo, si rei vel personae antecedenti qualitas est tributa eaque enuntiato relativo quomodo apparuerit significatur.

IV.

De coniunctivo potentiali.

Eam esse naturam coniunctivi, ut praedicatum tantum cogitata notione verbi enuntietur, supra docuimus. Ac primum quidem coniunctivo praesentis vel perfecti exprimitur notionem verbi, quae rei vel personae tribuitur, praedicatum esse tantum cogitari animo,

non adfirmari id re vera fieri. In enuntiato: „Dicat quispiam ante Homerum poetas non fuisse“ apparet praedicatum dicat, ita positum esse, ut notio „dicere“ tantum a me animo cogitetur, non significetur quempiam re vera id dicere. Vertendum est illud enuntiatum: Es möchte, könnte, dürfte, sollte wohl jemand behaupten, vor Homer habe es keine Dichter gegeben. Respondet hic coniunctivus potentialis Graecorum optativo addita particula ἄν; sed optavi usus multo latius patet quam Latinorum coniunctivi. Nam cum Graeci optativum addita particula ἄν non solum adhibeant ad praedicatum cogitata tantum notione verbi ponendum, verum etiam ad significandum esse opinionem id, quod praedicatur, fortasse esse vel fieri, Latini in his enuntiatis non ponunt coniunctivum potentialem, sed adhibent verba: puto, credo, opinor, videor, vel nescio an, haud scio an. Si dico: Hannibal mag wohl den Alexander an Kriegstüchtigkeit übertroffen haben, quantum intersit inter naturam huius enuntiati et illius, quod supra posui, manifestum est. Hoc enim praedicatum non tantum cogitata notione verbi ponitur, sed significatur me opinari Hannibalem Alexandro laude bellica superiorem fuisse. Cave igitur vertas: Hannibal Alexandro virtute bellica superior fuerit; vertendum est: Puto, credo, opinor Hannibalem... superiorem fuisse, Hannibal... superior fuisse mihi videtur, nescio vel haud scio an Hannibal... superior fuerit. Natura coniunctivi in enuntiato: Hannibal... superior fuerit longe est alia. Potest esse et coniunctivus sumptivus et coniunctivus concessivus. Uter esset statuendus in hoc ficto exemplo nexus sententiarum indicaret. Graecis in utroque enuntiato (Dicat quispiam . . . et Puto Hannibalem . . . superiorem fuisse) optativum addita particula ἄν ponere licet: εἴποι ἄν τις et Ἀννίβας Ἀλεξάνδρου περιγένοιτο ἄν. Quae de natura coniunctivi potentialis adhuc exposuimus, ut usu sermonis latini adfirmemus, luculenta quaedam exempla proferamus. In exordio orationis pro Sexto Roscio Amerino habitae Cicero dicit: Credo ego vos, iudices, mirari . . , ad quem locum Halmius recte adnotat: = θαυμάζοιτε ἄν. Nam Cicero notionem verbi „credo“ non premere vult, ita ut cum vi dicat se credere aliquid sc. iudices mirari; totum enuntiatum nihil est nisi periphrasis nostrae dictionis: Ihr möget euch wohl wundern. Item accipiendum est exemplum hoc: Ut porro firmissimum hoc adferri videtur, cur deos esse credamus, quod ... (Cic. Tusc. 1. 13. 30). Cum in verbo „credamus“ hoc loco magna sit vis, quippe quo nostrum substantivum „der Glaube“ exprimatur, apparet verbum videtur ita positum esse, ut totum enuntiatum non pro certo adfirmetur, sed iudicio scriptoris fortasse ita esse indicetur. Vertendum est: Als sicherster Beweis für den Glaubén an das Dasein der Götter mag wohl angeführt werden. Ita accipit Tischerus hunc Ciceronis locum: Quod malle te intellego, id puto esse commodius (Tusc. 1. 11. 23); vertit enim: das mag auch wohl zweckmässiger sein.

Potissimum in enuntiatis interrogativis, si hanc habent naturam, verba putandi sunt adhibenda, nec enuntiatum: Wer mag dies wohl gethan haben? vertere aliter licet nisi: Quem hoc fecisse putas (putatis, putamus)? Quis hoc fecisse videtur? Ad quod comprobandum ex magna exemplorum copia satis habeo haec sumere: Id si ita est, ut optimi cuiusque animus in morte facillime evolet tamquam e custodia vinclisque corporis: cui censemus cursum ad deos faciliorem fuisse quam Scipioni (Cic. Lael. 4. 14)? wem mag dann wohl der Aufschwung zu den Göttern leichter gewesen sein als dem Scipio? Stantes

plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera facturos fuisse (l. l. 7. 24)? was würden sie wohl bei einer wahren (Begebenheit) gethan haben? Quod si haec Athenis tum accidere sunt solita: quam moderationem putatis in Phrygia aut in Mysia contionum fuisse (Cic. Flacc. 7. 17)? welche Mässigung mag dann wohl . . . geherrscht haben? Quam in directis eandem periphrasin adhibere scriptores in quaestionibus indirectis pendentibus a verbis sententiendi comprobatur his exemplis: Multa praetereo consulto, sed ea vos coniectura perspicite quantum illud bellum factum putetis (Cic. imp. Cn. Pomp. 9. 26), quod recte vertit Halmius: wie gross jener Krieg wohl geworden sein mag. Cogitate nunc, cum illa Sicilia sit, hoc est insula, quae undique exitus maritimos habeat, quid ex ceteris locis exportatum putetis (Cic. Verr. 2. 75. 185). Tum facilius statuetis quid apud exteras nationes fieri existimetis (Cic. imp. Cn. Pomp. 13. 38). Potestis igitur iam contituere, Quirites, hanc auctoritatem quantum apud illos reges, quantum apud exteras nationes valituram esse existimetis (l. l. 16. 46). Videte, per deos immortales, quem in locum rem publicam venturam putetis (Cic. Rosc. Am. 53. 153). — Non raro verba putandi scriptores apposuerunt ad eam formam verbi, qua necessitas actionis exprimitur, ut, quae in ea inest acerbitas quaedam, quodammodo mitigetur. Ut Cicero dicit: Satis mihi multa verba fecisse videor quare esset hoc bellum genere ipso necessarium, magnitudine periculosum: restat, ut de imperatore ad id bellum deligendo ac tantis rebus praeficiendo dicendum esse videatur (de imp. Cn. Pomp. 9. 26). Hoc loco in verbo videatur non eam esse vim, ut scriptor id ipsum premere velit, videbis, si vertes: es erübrigt noch, dass . . . gesprochen werden zu müssen scheint vel: dass, wie mir scheint, gesprochen werden muss, quae est absurda vertendi ratio. Est potius: schliesslich muss wohl noch gesprochen werden. Nec aliter accipienda ac vertenda sunt illa verba in his exemplis: Reliquum est, ut de Q. Catuli auctoritate et sententia dicendum esse videatur (l. l. 20. 59). Haec mihi fere in mentem veniebant, quae dicenda putarem de natura deorum (Cic. nat. deor. 2. 67. 168). Dicendum idem illud paulo uberius videtur (Cic. Tusc. 5. 23. 67). Licet concurrant omnes plebeii philosophi — sic enim ii, qui a Platone et Socrate et ab ea familia dissident, appellandi videntur (l. l. 1. 23. 55). Vereor, ne vota facienda videantur (l. l. 5. 1. 2). Haec fere hoc tempore putavi esse dicenda (l. l. 2. 27. 67). Quid, cum ille decessisset, Flacco existimatis statuendum et faciendum fuisse (Cic. Flacc. 12. 29)? Item in quaestionibus indirectis: De vestri imperii dignitate atque gloria videte quem vobis animum suscipiendum putetis (Cic. imp. Cn. Pomp. 4. 11) . . . ut haec vobis deliberatio difficilis esset quemnam potissimum tantis rebus ac tanto bello praeficiendum putetis (l. l. 10. 27). Genus ipsum prius cognoscite, iudices; deinde fortasse non magnopere quaeretis quo id nomine appellandum putetis (Cic. Verr. 4. 1. 1). Zumptius (l. l. § 750) in eiusmodi exemplis pleonasmum statuere satis habet.

Scriptores, cum verbis putandi, quae est eorum natura, utantur ad aperte exprimendum esse opionem id, quod praedicatur, esse vel fieri, ad adfirmandum cum eleganti quadam cautione et verecunda haesitatione adhibent formulas: nescio an, haud scio an, dubito an, similia. De quibus formulis Handius (Tursellinus 1 pag. 310 sqq.) tam copiose disseruit, vix ut esset cur plura adderem, nisi etiam nunc non paucos et gram-

maticos et scriptorum interpretes falso putare viderem particulam an respondere nostro ob; significat potius, id quod ad naturam illarum formularum recte percipiendam acriter observandum est: ob nicht. Ut Schultzius (l. l. § 205) haec docet: An heisst im allgemeinen (!) niemals (!) ob; jedoch findet es sich oft in Verbindung mit Ausdrücken, die eine Ungewissheit bezeichnen (dubito an, incertum est an, nescio an, haesito an u. s. w.); auch hier bezeichnet es in der bessern Sprache immer eine Hinneigung zur Bejahung, obwohl wir nach deutscher Auffassung das Gegenteil (!?) denken möchten; so dass dubito an u. s. w. fast gleich puto, forsitan, aufzufassen ist. Hoc loco Schultzius vera et falsa confudit ac commiscuit. Quod enim recte dicit particulam an numquam significare ob, id, postquam addito „im allgemeinen" (mira sane copulatio notionum plane repugnantium im allgemeinen niemals!) angustioribus circumscripsit terminis, plane tollit iis, quae subsequuntur. Nam non diserte docet ille quidem in his formulis an vertendum est nostro ob, sed hanc significationem illi particulae eum subiectam velle apparet ex enuntiato adversativo (jedoch findet es sich . . .) et quod dicit nostram percipiendi rationem contrariam esse Latinorum, qua significetur scriptorem inclinare ad adfirmandum. Sed eandem esse Germanorum quam Lationorum percipiendi rationem facile videbimus, si quidem recte vertemus ob nicht. Nam si dico: Ich weiss nicht, ob es nicht vor Homer Dichter gegeben hat, aeque cum modestia quadam et verecundia adfirmo ante Homerum fuisse poetas ac Latini, cum dicunt: Nescio an poetae fuerint ante Homerum; utroque enuntiato significatur fortasse fuisse ante Homerum poetas, ita ut simplicius dicere liceat: vor Homer mag es wohl Dichter gegeben haben. Quantum distet ab illo enuntiatum hoc: Ich weiss nicht, ob es vor Homer Dichter gegeben hat, nescio an nullus tertiae gymnasii classis discipulus non videat. Dubito num quis sit, quin recte vertat: Nescio num ante Homerum poetae fuerint. Eodem errore tenetur Reisigius, qui (l. l. § 278) eadem ratione has formulas explicat, ita ut Schultzius eum secutus esse videatur. Dicit enim: Es ist ziemlich bekannt, dass nescio und haud scio an den Sinn der Bejahung mit vielleicht in sich schliessen; dies ist ebenso zu erklären, wie das Gegenteil (!) in unserer Sprache, wo ich weiss nicht ob vielmehr verneint. Idem sentit Gruberus, qui ad complendam confusionem in editione sua Cic. de off. ad l. 11. 33 haec adnotat: haud scio an bezeichnet einen Zweifel (!), der zur Bejahung neigt; unser ich weiss nicht ob neigt zur Verneinung; daher steht im Lateinischen die Negation, wo sie im Deutschen nicht steht, und umgekehrt. In qua explicandi ratione primum vituperandum est, quod putat umquam fieri posse, ut inclinemus ad idem adfirmandum, de quo dubitemus; notiones enim dubitandi et adfirmandi plane sunt contrariae: illa negat cum haesitatione quaedam, haec adfirmat. Deinde extrema adnotatio (daher steht . . .) quid significet prorsus non intellego.

Vides quam distortae et ineptae profectae sint opiniones ex errore grammaticorum et interpretum, qui illam formulam vertendam esse statuant: ich weiss nicht ob. Ad adfirmandam autem quam formulae nescio an vindicavimus significationem (ich weiss nicht ob nicht) usu sermonis Latini tot tamque inlustria omnes omnium aetatum scriptores suppeditant exempla, ut difficile sit aptum habere delectum. Ac primo quidem loco ex ingenti exemplorum numero ponendum mihi videtur hoc Terentii, quippe quo ad rem in-

lustrandam aptius nullum invenias. Get. Modo ut hoc consilio possiet discedi, ut istam ducat*). Dem. Etiamne id dubiumst? Get. Hauscio hercle, ut homost, an mutet animum. Dem. Hem, mutet animum? Get. Nescio: verum, si forte, dico (Phorm. 5. 2. 8 sqq.). Postquam Geta dixit se non plane securum esse de Phormionis consilio acceptis triginta minis Phanium uxorem ducendi, Demiphoni interroganti num id dubium sit respondet ita, ut, quae sit hominis natura, eum animum mutare posse cum haesitatione quadam adfirmet: ich weiss nicht, ob er nicht seine Gesinnung ändert = er könnte wohl . . . ändern. Quo inopinato responso vehementer commotus cum Demipho quaesiverit qui fieri posset, ut mutaret animum, respondet Geta ad sedandum eius animum se omnino nescire num Phormio mutet animum neque aliud quidquam se dicere nisi: si casus ita ferat, ut mutet animum. Sed ut a poeta transeamus ad principem omnium, qui soluta scripserunt oratione, apud Ciceronem cum multa tum haec occurrunt exempla: Aristotelem excepto Platone haud scio an recte dixerim principem philosophorum (Cic. fin. 5. 3. 7): ich weiss nicht, ob ich nicht mit Recht den Aristoteles das Haupt der Philosophen nenne = mit Recht könnte, dürfte ich wohl nennen. Crudele gladiatorum spectaculum et inhumanum nonnullis videri solet, et haud scio an ita sit, ut nunc fit (Tusc. 2. 17. 41): ich weiss nicht, ob dem nicht so ist = dem möchte wohl so sein . . . eamque virtutem σωφροσύνην vocant, quam soleo tum temperantiam tum moderationem appellare, nonnumquam etiam modestiam, sed haud scio an recte ea virtus frugalitas appellari possit (Tusc. 3. 8. 16): ich weiss nicht, ob diese Tugend nicht frugalitas (Biederkeit) genannt werden kann = könnte wohl . . . genannt werden. Quae fuit umquam ullo in homine tanta constantia? Constantiam dico? Nescio an melius patientiam possim dicere (Lig. 9. 26): ich weiss nicht, ob ich nicht besser Geduld sagen kann = ich könnte wohl besser . . . sagen. Atque haud scio an satis sit eum, qui lacessierit, iniuriae suae paenitere (off. 1. 11. 33): ich weiss nicht, ob es nicht genügt = es möchte wohl genügen. Pro haud scio an Cicero cum maiore verecundia in libris „de oratore" saepius dicit haud sciam an, ut: Neque enim hoc te, Crasse, fallit quam multa sint et quam varia genera dicendi, id quod haud sciam an tu primus ostenderis (1. 60. 255) cf. 2. 17. 72 et 2. 52. 209 item Tusc. 3. 23. 55. — Videre licet ex illis exemplis, quorum numerum multis augere facile est, eam esse formulae nescio an naturam, ut id, quod enuntiato, cui est praeposita, exprimitur, fortasse esse vel fieri significetur, ita ut idem fere valeat, quod particula fortasse vel forsitan. Quo fit, ut verbi notione oppressa omnino vim adverbii accipiat atque saepe et absolute sine verbo ponatur et ad constructionem enuntiati pendentis nihil valeat, id quod comprobatur his exemplis: Quorum quidem testem non mediocrem, sed haud scio an gravissimum, Regulum, nolite vituperare (Cic. off. 3. 29. 105). C. Grachus, si diutius vixisset, eloquentia nescio an habuisset parem neminem. In quo enuntiato scriptori, si vim verbi „nescio" premere voluisset, scribendum fuit: nescio an habiturus fuerit. Servavit quidem atque pressit notionem verbi Livius in hoc exemplo: Quodsi extemplo rem fortunae commisisset, haud scio an, qui tum animi ab decemvirorum infelicibus auspiciis Romanis hostibusque erant, magno detrimento certamen staturum fuerit (3. 60. 2). Quod autem formula

*) i. e. modo ut Phormio triginta minis adduci possit, ut Phanium uxorem ducat.

haud scio an paene adverbii vim accepit, factum esse puto, ut optimus quisque scriptor, cum particulam „haud“ nisi ante adverbia et adiectiva ponere non soleret, verbo „scio“ apponere non dubitaret.

Quae sit natura formulae nescio an cum plerique recentiorum grammaticorum non satis perspectum habeant, non est mirum eos sequente notione negativa (nemo, nullus, numquam, nusquam, nihil) aut dubios esse utra forma: nullus an ullus, nemo an quisquam etc. sit ponenda, aut docere utramque formam adhiberi posse et a scriptoribus adhibitam esse. Docet enim Reisigius (l. l.): zuweilen steht ullus, nicht nullus, quisquam, nicht nemo. Dicit ille quidem vetere scribendi ratione facile fieri potuisse, ut littera „n“ omitteretur, sed statim addit necesse non esse id statuamus, quia quisquam et ullus, umquam et usquam notiones esse, quae non supposita negatione intellegi non possint, nec opus esse negationem ipsam in his verbis inesse, naturae enuntiati subesse posse. Vir doctissimus non vidit in formula nescio an nihil negationis inesse; eam continere adfirmationem satis supra docuisse mihi videor. Item Schultzius (l. l.) dicit interdum inveniri „quisquam, quidquam, ullus“ pro usitatis notionibus negativis: „nemo, nihil, nullus“. Qui autem fieri possit, ut ad eandem sententiam exprimendam duas contrarias notiones (nullus-ullus etc.) poni liceat fateor me intellegere non posse. Zumptius, qui ceterum in exponenda significatione huius formulae recte egit, dubie dicit (l. l. § 721): Demnach scheint es, dass man immer sagen müsse nescio an nullus, numquam. Ellendt-Seyffertius (l. l. § 308. 2. adn.) paulo accuratius docet: es pflegen die eigentlichen Negationen nemo, nullus, nihil etc. gesetzt zu werden. Quod autem dicit negationes poni solere, earum usus non tam firmus ac constans esse ei videtur, ut non ab eo interdum recedant scriptores. Quae est autem natura huius formulae, contendere nihil dubito prorsus fieri non posse, ut in negativis enuntiatis ab ea pendentibus pro nullus ponatur ullus, pro nihil quidquam etc. Nam certam sententiam, quam expromimus hoc enuntiato: Gaius Hannibalem laude bellica superavit, si cum modestia quadam ac verecundia ponere volumus, satis est anteponere „nescio an“ et indicativum mutare in coniunctivum: Nescio an Gaius Hannibalem . . . superaverit: Gajus möchte wohl den Hannibal . . . übertroffen haben. Pro „Gaius“ substituamus „nemo“: Nemo Hannibalem . . . superavit. Ex quo enuntiato, si item atque in illo anteponimus „nescio an“, summa necessitate hoc efficitur: Nescio an nemo Hannibalem . . . superaverit: niemand möchte wohl . . . übertroffen haben. Quid sit cur „nemo“ mutetur prorsus non video. Itaque reicienda est sententia eorum, qui codicum auctoritate nisi locis quibusdam formas „ullus, usquam, umquam“ etc. servandas esse putant. Quibuscumque locis codices illas formas praebent, ex errore librariorum eas profectas esse statuendum atque observandum est facillime fieri potuisse, ut littera „n“ omitteretur, praesertim cum geminata „n“ linea supra „a“ ducta significaretur: ānullus. Cic. Lael. 6. 20 nonnulli codices habent scripturam: qua quidem haud scio an excepta sapientia quidquam melius sit homini a diis immortalibus datum. Sed cod. Erfurt. et optimus cod. Parisin., quem Mommsenius IX vel X saeculi esse in Mus. Rhen. 1863 XVIII p. 594 sqq. demonstravit, habent nihil. Nauckius (in editione sua Cic. Lael.) ad defendendum quidquam dicit regulam illam, quae doceat „haud scio an“ significare inclinationem ad adfirmandum et vertendum esse: ich weiss nicht ob nicht, habere exceptionem sequente quisquam et ullus; cuius

rei verisimile esse causam esse quaerendam in significatione illorum pronominum indefinitivorum, quae inclinent ad negandum. Cave autem putes illa vocabula ipsa vim habere negativam; negatio, quam postulant, aliis verbis exprimitur. In formula autem „nescio an" nihil inest negationis. — Quod ex ipsa natura formulae „haud scio an" de sequentibus vocabulis negativis docuimus, his comprobatur exemplis haud ambiguis: Contigit tibi, quod haud scio an nemini, ut summa severitas animadversionis cum bonis omnibus, tum infimo cuique esset gratissima (Cic. fam. 9. 14. 7). Quod cum omnibus est faciendum, qui vitam honestam ingredi cogitant, tum haud scio an nemini potius quam tibi (Cic. off. 3. 2. 6). . . . nescio an habuisset parem neminem (Cic. Brut. 13. 126). Etenim si in promerendo, ut tibi tanti honores tribuerentur, quanti haud scio an nemini, fuisti omnium diligentissimus (Cic. Q. fr. 1. 1. 10. 30). Denique monendum mihi videtur, ne, id quod nonnulli grammatici volunt, sequente notione negativa: nemo, nullus etc. vertas: ich weiss nicht, ob jemand. Sensus quidem ea vertendi ratione non turbatur, si vertens vim pronominis: irgend jemand, irgend einer (non jemand) premis; duplici enim negatione (ich weiss nicht, ob nicht keiner) efficitur adfirmatio (irgend einer); sed ratio grammatica ne possit conturbari periculum est. Nostrae enim particulae „ob" respondet Latinorum particula „num" vel suffixum „ne" vel praefixum „ec" vel interdum (post tentare, conari, experiri, exspectare) „si".

V.

De significatione et usu particulae ne.

Cum ad iudicium negandum Latini particulam non ita adhibeant, ut ea exprimatur id, quod praedicatur, non esse vel non fieri, ad voluntatem negandam utuntur particula ne, qua significent id, quod praedicatur, esse vel fieri se nolle. Quae significatio particularum „non" et „ne" facile cognoscitur ex dictionibus: non dico, non dicam, ne dicam. Cum utraque formula non dico et non dicam notio, cui est addita, ut non satis apta, quippe quae sit infirmior, negetur, illa libere et aperte (ich sage nicht), hac cum verecundia quadam (ich möchte nicht sagen), formula ne dicam scriptores utuntur ad exprimendum se sequentem notionem ut graviorem et fortiorem adhibere nolle. Ut Cicero dicit: Nomen est, non dico inusitatum, verum omnino inauditum (Caec. 13. 36). . . . nec vero disiunctissimas terras citius passibus cuiusquam potuisse peragrari quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis lustratae sunt (Marc. 2. 5). Admonebat me res, ut hoc quoque loco intermissionem eloquentiae, ne dicam interitum deplorarem (off. 2. 19. 67) i. e. nolo (vereor) dicere interitum. Quae cum sit significatio particulae „ne", fit, ut postuletur, ubi coniunctivus vim voluntatis accipiat, sive adhortationem, sive optatum, sive praeceptum contineat, ut: Donis impii ne placare audeant deos (Cic. leg. 2. 16. 41) i. e. nolo donis impios placare audere deos.

Utinam id ne facias = nolo te id facere. Item in obtestationibus: ne sim salvus = nolo salvus esse; et in concessionibus: Ne sit sane summum malum dolor, malum certe est = etsi nolo (sc. concedere) esse summum malum dolorem. Patet igitur, cum imperativus postulet particulam ne: ne audeto = nolo te audere, cur in tempore futuro, quod interdum ita adhibetur, ut ad significationem imperativi accedere videatur, non ponatur. Tempore enim futuro non significatur scriptorem velle aliquid, sed exspectare fieri id, quod vult. Itaque non satis accurate docent grammatici interdum pro imperativo poni licere tempus futurum. Tu interea non cessabis et ea, quae habes instituta, perpolies nosque diliges (Cic. fam. 5. 12. 40) = du wirst doch nicht säumen sc. exspecto te non cessaturum esse. Conferre licet eundem Graecorum usum temporis futuri; ut est apud Euripidem: εἰ δ'ἐμοῦ χρείαν ἔχεις, λέγ' εἴ τι βούλει, χειρὶ δ'οὐ ψαύσεις ποτέ (Med. 1319). Cum eadem voluntatis vis sit in enuntiatis, quibus praepositae sunt coniunctiones „dummodo, dum, modo", particula „ne" in iis requiritur. Restringitur enim his enuntiatis sententia enuntiati primarii ita, ut significetur ea condicione illud fieri, ut hoc, quod subiectum vult, fiat. Celeriter ad comitia veniendum censeo, dummodo ne haec ambitiosa festinatio aliquid imminuat eius gloriae, quam consecuti sumus (Cic. fam. 10. 25. 3) i. e. nolo hanc ambitiosam festinationem imminuere . . . atque ea condicione, ne imminuat, censeo veniendum esse. Atque etiam verba statuendi, nitendi, orandi, monendi, incitandi, imperandi, similia, quippe quae voluntatem contineant, particulam ne postulant: oro te, ne id facias i. e. nolo te id facere; id solum oro, quod volo. Huc etiam referendae sunt dictiones: legem fero, negotium do, auctor sum, similia, in quibus omnibus notionem voluntatis facile est agnoscere, et verba declarandi, si voluntatem exprimunt (dass etwas geschehen soll).

Itaque cum ne nihil sit nisi particula negans, non coniunctio, in enuntiatis finalibus nostrum dass nicht, damit nicht proprie vertendum est ut ne: defendo te, ut (damit) serveris; defendo te, ut (damit) ne (nicht) laedaris. Atque haud raro coniunguntur ut ne praesertim antecedente demonstrativo hoc vel ita, quo magis relatio enuntiati ad demonstrativum significetur (ita — ut so = in der Art — dass) sensu: ea provisione, ut: Caput autem est hoc, quod te diligentissime percipere et meminisse volam, ut ne in libertate et salute populi Romani conservanda auctoritatem senatus exspectes (Cic. fam. 11. 7. 1). Minucius, qui sciret ita se in provincia rem augere oportere, ut ne quid de libertate perderet, homini, quae visa sunt, respondit. (Cic. Verr. 2. 30. 73). Hic igitur si est excultus et si eius acies ita curata est, ut ne caecaretur erroribus, fit perfecta mens. (Cic. Tusc. 5. 13. 39). — Quaeritur qui fieri potuerit, ut in negativis enuntiatis finalibus omitteretur coniunctio „ut", ita ut particula „ne" vim coniunctionis acciperet (= dass nicht, damit nicht). Saepe in iis adfirmativis enuntiatis finalibus, quae pendent a verbo, in quo ipso inest vis voluntatis, coniunctio ut omittitur. Ea autem enuntiata naturam orationis obliquae induisse videbis, si comparabis nostram eandem dicendi rationem. Pro: Der Senat beschloss, dass die Konsuln zusehen sollten, dicere licet omissa coniunctione „dass": die Konsuln möchten, sollten zusehen, quod est enuntiatum indirectum profectum a directo: die Konsuln sollen zusehen. Ac primum coniunctio ut omittitur post ea verba, quae aperte exprimunt voluntatem, qua sunt volo, nolo, malo: Volo, se

efferat in adulescente fecunditas (Cic. de or. 2. 21. 88). Nolo, accusator in iudicium potentiam adferat (Cic. Mur. 28. 59). Malo, te saepius hostis metuat, quam stulti cives laudent (Liv. 22. 39. 20). Crebrius coniunctivus omissa coniunctione „ut" in usu est post velim, vellem etc. Nec minus saepe coniunctio ut omittitur post ea verba, quibus subest vis voluntatis. Virtus voluptatis aditus intercludat necesse est (Cic. fin. 2. 35. 118); subest: volo utique. Animus oportet tuus se iudicet divitem, non hominum sermo neque possessiones tuae (Cic. par. 6. 1. 43). Discedentem vero ex contione universi cohortantur, magno sit animo (Caes. b. c. 2. 33. 2). Caesar Labieno mandat, Remos reliquosque Belgas adeat, atque in officio contineat (Caes. b. g. 3. 11. 2). Albinus Massivae persuadet, regnum Numidiae ab senatu petat (Sall. Iug. 35. 2). Cum in eiusmodi enuntiatis coniunctio ut possit omitti, idem nullo pacto fieri potest in enuntiato hoc: Dii homines celsos et erectos constituerunt, ut deorum cognitionem caelum intuentes capere possent (Cic. nat. de. 2. 56. 140); nihil est enim in eo, ex quo significatio voluntatis cognosci possit, nisi ex ipsa coniunctione ut. Quod autem, quae requiritur ad omittendam coniunctionem „ut" notio voluntatis in ipsa particula ne inest, factum est, ut in negativis enuntiatis finalibus coniunctio „ut" neglegeretur et enuntiatum naturam orationis obliquae acciperet.

Cum particula ne nisi ad voluntatem significandam non adhibeatur, pro ut non in enuntiatis consecutivis poni omnino non potest. Quodsi est genus quoddam verborum, quae et ne et ut non admittant, quae sit eorum propria vis ac natura videndum est; sunt autem verba efficiendi. Ea est autem illorum verborum natura, ut tum vim consecutivam, tum finalem habere possint: Splendor vester facit, ut peccare sine summo rei publicae periculo non possitis (Cic. Verr. 1. 8. 22) i. e. Splendor vester hunc habet successum, ut . . . non possitis. Multum differt ab illo enuntiatum hoc: At pol me fecisse arbitror, ne id merito mi eveniret (Ter. Hec. 5. 3. 41); nam qui loquitur non tam quid assecutus sit exprimit quam quid spectaverit, quo consilio egerit. Eodem modo accipiendum est hoc Ciceronis: Improbitate eorum, qui epistulas accipiant, fieri scribis, ne ad nos perferantur (fam. 4. 4. 1). Quae est enuntiati ratio grammatica, minus exprimitur id, quod re vera fit, quam quid velint, quid spectent, qua sunt improbitate, ii, qui epistulas accipiunt. Hanc duplicem illorum verborum naturam cognoscere possumus etiam ex eo, quod in enuntiatis pendentibus ab iis pronomen, quod refertur ad subiectum enuntiati primarii, potest esse et reflexivum et demonstrativum; reflexivum autem requirit finalem, demonstrativum consecutivam significationem enuntiati. Cicero multa pollicendo effecerat, ut Qu. Curius consilia Catilinae sibi proderet (Sall. Cat. 26. 3). Praevalet sensus: multa pollicendo id spectaverat, id egerat, ut sibi proderet. Si enuntiatum esset negativum propter pronomen reflexivum sibi utique postularetur ne. Non eadem est natura enuntiati huius: His igitur rebus effecit (Atticus), ut M. Vipsanius Agrippa potissimum eius (Attici) deligeret adfinitatem (Nep. Att. 12. 1) i. e. His igitur rebus hunc habuit successum, ut. Propter pronomen demonstrativum eius hoc enuntiatum, si esset negativum, utique postularet ut non. — Huic duplici rationi grammaticae verborum efficiendi respondet Graecorum duplex constructio verbi πάντα ποιεῖν, quod, cum admittat et ὥστε coniunctum cum infinitivo et ὅπως vel ὡς,

tum vim consecutivam, tum finalem possit habere, id quod apparet ex hisce exemplis: καὶ Ἀθηναῖοι δὲ εὖ οἶδ', ὅτι πάντα ποιήσαιεν ἄν, ὥστε σύμμαχοι ἡμῖν γενέσθαι (Xen. Hell. 6. 1. 10). ὁ δὲ συνειδὼς αὐτῷ πολλὰ καὶ πονηρὰ πάντ' ἐποίει, ὥστε ἀπαλλαγῆναι τοῦ Ἀρχεδήμου (Xen. Mem. 2. 9. 6). ἡμῖν δέ γε, οἶμαι, πάντα ποιητέα, ὡς μήποτ' ἐπὶ τοῖς βαρβάροις γενώμεθα (Xen. An. 3. 1. 35). ἐλθὼν δὲ ἐδήου καὶ τῆς Ἀρκαδίας ὅσα ἐδύνατο καὶ τῆς Σκιρίτιδος, καὶ πάντα ἐποίει, ὅπως, εἰ δύναιτο, ἀπαγάγοι τοὺς πολιορκοῦντας (Xen. Hell. 7. 4. 21). — Iam vix est, quod admoneam verba impediendi praeter coniunctionem quominus admittere ne; manifestum est enim iis subesse vim id agendi vel efficiendi, ne fiat id, quod est in enuntiato secundario. Histiaeus Milesius obstitit, ne res conficeretur (Nep. Milt. 3. 5); subest: id egit, efficere studuit.

Restat, ut de verbis timendi pauca addam, non quod exponendum putem cur ea in sermone latino nostris contrariae coniunctiones subsequantur, est enim res notissima, sed quod video non in paucis libellis compositis ad discipulos in regulis grammaticis exercendos scriptores falso usos esse coniunctivo periphrastico (-turus sim). Inciderunt autem in hunc errorem, quod non viderunt quantum in illis verbis differret a nostra Latinorum percipiendi ratio. Cum enim nos ipsam rem timendam exprimamus, sicuti fert natura illorum verborum, in re futura tempus futurum ponere solemus: ich fürchte, dass du morgen sterben wirst; sed ut Latini, cum vim optandi, quae in iis inest, premant, ponant coniunctivum futuri, qui dicitur, fieri non potest. Namque „ipsum optare" est temporis praesentis, cum res, quae optatur, sit temporis futuri. Quod perspicuum est, si directe ponimus: mögest du morgen nicht sterben (ne cras moriaris). Cave igitur vertas: timeo, ne cras moriturus sis, est vertendum: timeo, ne cras moriaris. Quod in verbis timendi, idem observandum est in omnibus enuntiatis finalibus, cum, ut supra exposuimus, omnia vim voluntatis contineant. Itaque cum verba timendi coniunctivum futuri non admittant, postulant in constructione accusativi cum infinitivo, qua nonnulli scriptores, imprimis Livius, interdum usi sunt, infinitivum futuri verbi pendentis, si res est futura. In ea autem constructione natura illorum verborum longe aliter est accipienda. Omissa enim notione optandi vim verborum sentiendi scriptores iis tribuerunt, ita ut „timere" significet „cum sollicitudine exspectare". Ego me, illum acerrimum regum hostem, ipsum cupiditatis regni crimen subiturum timerem (Liv. 2. 7. 9)? et ipsam coloniam ingens metus erat defecturam (Liv. 3. 22. 2). Vincit utilitas plerumque, cum subest ille timor, ea neglecta ne dignitatem quidem posse retineri (Cic. de or. 2. 82. 334). Infinitivum praesentis posse hoc loco eodem modo accipiendum esse, quo post verba sperandi, vix est quod dicam.

VI.

De natura enuntiatorum relativorum sententiam generalem continentium.

Vix ullam esse grammaticae latinae partem, quam minus recte perspectam habeant vel intellegentissimi superiorum gymnasii classium discipuli, quam eam, quae est de iis enuntiatis relativis, quibus sententia generalis exprimitur, qui eorum et dicendi et scri-

bendi exercitationes aliquamdiu moderatus erit, non infitiabitur. Quorum enuntiatorum natura ut recte perspiciatur, ante omnia observandum est ea nihil adfirmare, sed nihil esse nisi complementum enuntiati primarii ad hoc significandum: Quod sententia principali pronuntiatur, est vel fit, si, quod sententia relativa sumitur, est vel fit; neque refert id, quod notione relativa continetur. Quod ut accuratius inlustremus, sumamus hoc exemplum: Quisquis est, qui leges non observavit, poena adficitur. Cuius enuntiati haec est sententia: Fit, ut poena adficiatur, si quis leges non observaverit; neque refert quis sit. Solvi possunt omnes illae relativae notiones coniunctione sive-sive-sive etc. Quam si substituimus in illo exemplo, haec efficitur sententia: Si quis, sive est A, sive B, sive C etc. (nihil refert quis sit), leges non observavit, poena adficitur. Eodem modo solvere et per partes explanare licet haec Ciceronis: Ergo is, quisquis est, qui moderatione et constantia quietus animo est sibique ipse placatus, is est sapiens (Tusc. 4. 17. 37) i. e. Si quis, sive est Gaius, sive Pompeius etc. (nihil refert quis sit), moderatione . . . quietus est, est sapiens. Virtutem qui adeptus erit, ubicumque erit gentium, a nobis diligetur (nat. de. 1. 44. 122) i. e. Si quis virtutem adeptus erit, a nobis diligetur, sive erit hic, sive illic, sive istic (nihil refert ubi sit). Quae igitur in libellis compositis ad discipulos in regulis grammaticis exercendos nobis haud raro occurrunt huiuscemodi exempla: Wie gross auch die Truppenmassen der Feinde gewesen sein mögen, so konnten sie doch den Angriff unserer Soldaten nicht aushalten, iis vis ac natura horum enuntiatorum ita non explanatur, ut maxime confundatur et perturbetur. Nam enuntiato: Wie gross auch . . . gewesen significatur hoc loco copias magnas vel maximas fuisse, quae significatio in pronomine quantuscumque numquam inest. Noli igitur vertere: Quantaecumque hostium copiae fuerunt, tamen etc. Subest potius huic enuntiato vis concessiva, id quod sequenti coniunctione doch firmatur. Est igitur vertendum: Quamvis magnae essent copiae hostium, tamen etc. Apparet autem illud enuntiatum, ut supra positum est, ne in patrio quidem sermone ferri posse et dicendum esse: Wie gross auch . . . gewesen sind. Conferas velim cum illo exemplum hoc natura atque vi longe diversum: Quantacumque virtus bellica in Gaio fuit, patria ei multum debet. Est autem sententia haec: Patria Gaio multum debet, neque refert ad eam laudem ei tribuendam quantus modus fuerit virtutis bellicae; solvere licet: sive maxima, sive non ita magna, sive parva virtus bellica in Gaio fuit (nihil refert quanta fuerit) patria ei multum debet. Addamus ad hoc fictum exemplum hoc Ciceronis: Crescit oratio et facultas, quae, quantacumque in me est, numquam amicorum periculis defuit (Arch. 6. 13). Ex nexu sententiarum manifestum est in enuntiato relativo esse vim condicionalem; solvi potest: sive maxima, sive non ita magna, sive parva in me est oratio et facultas (nihil refert quanta sit), certe numquam defuit.